

nam multæ. 3. Si causa sit spiritualis, v. g. si agatur de beneficio, de decimis, vel de jure patronatus: tunc enim reus jurare recusans habetur pro confesso in sui præjudicium, non autem in actoris favorem, ne detur ingressus vitiosus in beneficium: cum non aliter, quam per Institutionem Canonicam debeat conferri. *L. 1. de Reg. jur. in 6. Acedere in l. 2. tit. 7. lib. 4. R. C. n. 2. & 3. 4.* Hæc poena liberatur, si non lens jurare jam perfectè probasset: quia ubi non est probationis necessitas, nec hujus juramenti est necessitas. Hæc etiam poena comprehendit eum, qui renuit juramentum malitiæ præstare, ac proinde in illo articulo, in quo detrectat præstare juramentum malitiæ, vel cadit à causa, vel pro confesso habetur: Nam cum hoc juramentum sit species, vel pars juramenti calumniæ, quidquid jus de illo disponit, etiam de hoc disponere censetur, cum pars continueatur in suo toto. *L. 113. ff. de Reg. Jur. c. 80. eod. in 6.* quamvis aliqui teneant, hanc poenam ad juramentum malitiæ non extendi. Quod satis constat ex generalitate. *L. 23. tit. 11. p. 3. ibi: Ca si el demandador non la quisiesse facer, debedar por quito al demandado; & otrosi si el demandado fuesse rebelde en non facerla, debedo dar por vencido, bien assi como si conecesse todo aquello, que le demandaba su Contendor.* clarius adhuc habetur in *L. 2. tit. 7. lib. 4. R. C.* Quod si Procurator, vel alius administrator renuat juramentum calumniæ præstare, eorum contumacia non debet Dominis nocere, ut hanc poenam incurrant, ut contra Valensem hic n. 4. & alios tenent communis, & benignior sententia, ex *L. un. §. 2. ff. Si quis jus dicent. ibi: Si Procurator tuus, vel Tutor, vel Curator jus dicenti non obtemperavit, ipse punitur, non Dominus, vel pupillus.* Et quidem ipse Procurator non adietur in ea causa. In nostra Hispania in locum juramenti calumniæ successit juramentum malitiæ in hac forma: *Y juro à Dios, y à esta que esta demanda no pongo de malicia.* Si Procurator jurat, ait: *Y juro à Dios, y à esta Cruz en anima de mi parte, y la mia. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 4. ex n. 39. & 44. Gonz. in c. fin. h. t. n. 3. Hevia in Cur. p. 1. §. 11. num. 17.*

TIT. VIII.

De Dilationibus.

69 *Dilatatio* est illud spatium, vel intervallum, quod ad actum peragendum in judicio actori, vel reo datur. Si à Lege datur, dilatio *Legalis*, dicitur; si à Judice *Judicialis* nuncupatur. Et quidem à Judice datur pro Tribunalis sedente, prævia saltem summaria causæ cognitione, & præsentè utraque parte, & non contradicente. *c. fin. 3. q. 3.* Hæc dilatio hodie ferè arbitraria est: siquidem Juxta negotii, vel personæ qualitate, & aliis circumstantiis potest augeri, vel minui. *l. 24. de Offic. delig.* Sed non debet dilationes nimis longas concedere, ut finis litibus imponatur, nec nimis breves, ne litigatores indefensi reperiantur: Quod si ipsis non detur sufficiens tempus ad comparandum, & etiam ad deliberandum, & advocatos, & peritos consulendos, à Judicis sententia, licet interlocutoria, rectè appellatur, cum gravamen irreparabile continet. *c. 1. h. t.* Possunt tamen Judices dilationes coartare, moderatè tamen. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 10. in fin. ibi: Admonet dehinc Sancta Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscunque Judices, ut terminandis causis, quantum fieri poterit brevitate, studeant: ac litigatorum artibus; seu in lites contestatione, seu alia parte judicii differenda modis omnibus, aut termini præfixione, aut competentè alia ratione occurrant.* *L. 1. tit. 6. lib. 4. R. C. ibi: Y los del nuestro Consejo, d el Presidente, y Oidores, ante quien la causa pendiere, puedan abreviar los dichos terminos, y cada uno dellos, acatada la calidad de la causa, y personas, y cantidad, y distancia de los lugares, donde se han de hacer las probanzas, y que no las puedan alargar.* Et hoc debent Judices præ oculis habere, ne lites fiant immortales, & æternæ.

70 Dilationis tempore conquisit Juxta officium adeo, ut sit ipso jure nullum, quod tunc innovatum fuerit in illo articulo, super quo data est dilatio, nec per partium consensum potest validari: dilatio tamen elapsa potest Juxta ad ulteriora procedere. Dilatio uni parti concessa, licet sit minori, jure speciali per restitutionem in integrum adversus lapsum temporis concessa, alteri litiganti prodest. *L. fin. tit. 8. lib. 4. R. C.* cum in judiciis æqualitatem servari oporteat.

c. 32. de Reg. jur. in 6. adeo, ut nec reus data dilationi renuntiare possit, etiam re integra, quia per ipsam dationem, etiam ad petitionem rei concessam, est jus actori acquisitum, quo invitus non debet spoliari. *Barbos. in c. fin. h. t. n. 7.* Etiam socius Minoris gaudet restitutione minori concessa, quando causa est indivisa, nec potest dividi, secus si dividua sit, ut si datus possit. *Hevia in Cur. Phil. p. 1. §. 16. n. 24.* Dies, in quo terminus conceditur, juxta aliquos in termino computatur; sed non computari tenet praxis Tribunalium teste *Hevia in Cur. p. 1. §. 16. n. 7.* Dilationes, nisi aliud constet, non utiles, sed continuæ sunt, ac proinde dies feriati, sive feriæ sint solemnes, sive repentinæ, nisi vel totam, vel majorem partem dilationis absorbent, in termino dilationis computantur. *L. 3. C. h. t. Hevia in Cur. p. 1. §. 16. n. 8.* Ultimus dies, qui pro termino assignatur cedit in commodum dilationem petentis. *Arg. §. 2. de Inst. de V. O.* unde ultimo adhuc momento rectè comparet, qui dilationem obtinuit, nisi sit dies feriatus, seu non juridicus.

71 Dilationes, quæ in judicio conceduntur, aliqui doctrinæ gratia pro tempore, & effectu, pro quibus conceduntur, solent dividere in dilationes *citatorias, seu expeditorias, deliberatorias, recusatorias, seu declinatorias, probatorias, allegatorias, definitorias, executorias,* quarum natura ex ipsis terminis satis percipitur. Jam ad rem accedamus. Post oblatum ergo actoris libellum, Jure Communi viginti dies reo ad respondendum conceduntur. *Auth. Offeratur. C. de Litis contest.* In nostra tamen Hispania novem dierum dilatio reo conceditur, ut deliberet, si velit liti cedere, vel contendere, & ut actioni respondeat, litemque contestetur. *L. 1. tit. 4. l. 1. tit. 5. lib. 4. R. C.* qui quidem à die notificationis computantur. Et quidem reus ante lites contestationem potest exceptiones dilatorias opponere. *c. 20. de Re judic. l. 9. tit. 3. p. 3.* post lites contestationem potest exceptiones peremptorias opponere, jure quidem communi usque ad definitivam: jure Hispano intra viginti dies à lites contestatione opponendæ sunt. *L. 1. tit. 5. lib. 4. R. C.* Libello rei responsorio porrecto conceditur actori sex dierum dilatio, ut reo respondeat, nisi reus reconventionem, mutuaque petitionem objecerit actori: quia tunc novem dies ei conceduntur. *L. 2. tit. 5. lib. 4. R. C.* Actor intra sex dies replicat rei libello, & intra alios sex dies reus debet producere libellum duplicationis. *L. 2. tit. 5. lib. 4.*

Tom. I.

R. C. Paz. in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 7. & nullus alius libellus postea admittitur in Nostra Hispania, ita ut duo tantum ex parte actoris, & duo itidem tantum ex parte rei porrigantur. Libellorum terminis elapsis, intra sex dies pronuntiat Juxta sententiam interlocutoriam, ut partes ad probationem causæ, si causa probatione indigeat, admittantur. *L. 1. tit. 17. lib. 4. R. C.* olim terminus ad probandum non porrigebatur ultra primam dilationem. *L. 7. ff. de Feriis, & dilation.* postea verò tres dilationes, seu termini concedebantur. *c. 15. de Testib. l. 33. tit. 16. p. 3.* De jure enim civili tempus ad probandum sic moderatur: ut si ex Provincia, ubi lis agitur, vel persona, vel instrumenta poscantur, non amplius, quam tres menses indulgeantur; si verò ex continentibus Provinciis, sex menses custodiri justitiæ est: in transmarina autem dilatio novem menses computari oportebit. *L. 1. C. h. t.* Hodie tamen sub una dilatio possunt Judicis arbitrio omnes termini, seu dilationes concedi, dummodo in Nostra Hispania dilatio non extendatur ultra octoginta dies, si causa sit citra montes, nec ultra centum, & viginti, si ultra montes sit. Terminus ultramarinus est sex mensium, & conceditur partibus testis ultra mare habitentibus: debentque partes testes nominare, & intra triginta dies probare, illos testes adfuisse illo facto, vel causi, de quo litigatur. Debetque hunc terminum petens jurare, se non procedere ex malitia, debetque pecuniam deponere arbitrio Judicis sufficientem ad has impensas: à quibus omnibus excusatur, si factum, vel casus, de quo litigatur contigit ultra mare. *L. 1. & seq. tit. 6. lib. 4. R. C.* In Indiis verò major est hic terminus ultramarinus pro distantia Provinciarum. Quarta dilatio, Hispanè quarto plazo nisi ex magna causa dari non debet: v. g. si lapsis primis dilationibus, novæ probationes, exceptiones, vel aliud incidens superveniat. *Arg. L. 11. §. 8. ff. de Interrogat. in jur.* debetque hæc dilationem petens, probare causam, ut concedatur: & insuper jurare, se non petere dolosè talem dilationem. *c. 15. de Testib. Auth. Atqui semel. C. de Probation.*

72 Postquam attestaciones sunt publicatæ nullus alius terminus ad probandum conceditur, nec alii testes possunt præsentari, ne detur locus per juris, & occasio testes corrumpendi. Si verò aliquis ex litigantibus possit, restitutionem ad probandum, petere; quia minor, vel Universitas est, debet intra 15. dies à publi-

Gg 2

ca

catione testium connumerandus talem restitutionem petere, & solum ipsi concedatur dimidium termini probatorii, qui fuit concessus ad primam probationem, ita ut ipsi alia restitutio negetur. *L. 5. tit. 6. lib. 4. R. C. L. fin. tit. 8. lib. 4. R. C.* Elapsis jam terminis, & dilationibus probatoriis, de Jure Civili tres dilaciones ad allegandum dabantur, quarum qualibet triginta dies, seu mensem continebat. *Auth. Subemus. C. de Judic.* De jure Hispano intra sex dies debent partes allegare, suam intentionem esse legitimam, & sufficienter probatam: & de contra adversarium non probasse suas exceptiones. Tunc ergo admittuntur partes ad probandum, suam intentionem esse legitimam, & sufficienter probatam: & hic libellus dicitur *Hispanè: Escrito de bien probado.* Et ibidem opponuntur objectiones, seu repulsæ testium, qui à parte contraria sunt producti. *Hispanè: Prueba de tachas.* Et tales objectiones contra testes, eorumque declarationes, debent esse specificæ: nam si generales sint, non admittuntur. *L. 2. tit. 8. lib. 4. R. C.* & Judex juxta suum arbitrium tempus ad has probationes concedet, ita tamen, ut non excedat temporis ad probationem principalem concessi, medietatem. *L. 1. tit. 8. lib. 4. R. C.* Postquam partes merita causæ allegarunt, sequitur conclusio in causa, quæ est probationum, & dispositionum ulteriorum renuntiatio: ac proinde post eam nulla probatio, vel exceptio admittitur. *c. 9. de Fide Instrum. c. 5. de Causa possess.* Non tamen prohibetur, quod quis post conclusionem in causa suam probationem declaret, etiam producendo, si necesse est, instrumenta, & scripturas. *Arg. L. 21. §. 1. ff. Qui testament.* ibi: *Nihil enim mune dat, sed datum significat.* Hæc tamen conclusio non est de substantia iudicii, & processus summarii. *Cl. 2. de V. S. & juxta Abbat. in c. 9. de Fid. Instr. Marant. & alios,* nec de substantia iudicii ordinarii. Contra *Gloss. in Cl. 2. de V. S. V. Conclusione, & alios.* Sed quidquid de aliis sit, in nostra Hispania, talem conclusionem esse de iudicii substantiam, tanquam indubitatum asserit. *Hevia in Cur. Phil. p. 1. §. 16. n. 31. ex L. fin. tit. 6. lib. 4. R. C. L. 1. tit. 7. lib. 4. R. C.*

73. Aliquando tamen post conclusionem in causa probationes, & instrumenta solent admitti, & quidem. 1. Reus in causa criminali, in qua de poena corporali agitur; (secus si de poena pecuniaria tantum agitur) probare valet suam innocentiam, etiam post conclusionem in causa. *L. 27. ff. de Pœnis.* Imò quocumque

tempore, etiam post sententiam usque ad realem executionem: & consequenter quocumque tempore de rei innocentia constat debet absolvi. *Judic. L. 4. tit. 30. p. 7. ibi: Pero si ante que fagan la Justicia del, fallare el Judgador en verdad, que lo que conosco, non era assi: mas que lo dize con miedo de las feridas, o con despecho, que avia por que lo ferian, id por locura, o por otra razon semejante destas, debelo quitar.* *Et ibid. Greg. Lop. Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 15. n. 9. Paz. Gom. & alii. 2.* Etiam admittitur post conclusionem probatio in causa matrimoniali: quia etiam post sententiam licet uti novis, imò, & contrariis probationibus, & allegationibus. *c. 7. c. 11. h. t. L. 13. tit. 22. p. 3. 3.* Appellans potest coram Judice appellationis producere nova instrumenta, & probationes, quæ antea non potuerunt produci. *L. 4. C. de Tempor. & reparat. appellat.* unde ortum habuit illud solemne apud Juristas axioma: *In appellationis causa non allegata allegabo, & non probata probabo.* 4. Si talem probationem offerat qui gaudet restitutione in integrum, ea prius petita, ut minor, Ecclesia, vel universitas. 5. Si aliquis producat instrumenta noviter reperta, vel quæ de novo ad producendum notitiam pervenerunt, & hoc juramento affirmet. *Arg. c. 4. de Except. L. 7. ff. de Feriis.* Nam quæ de hovo emergunt, novo indigent auxilio. *L. 11. §. 8. ff. de Interrogat. 6.* Si adversarius tali probationi non contradicat: quia censetur juri, quod ad contradicendum habet, renuntiare. 7. Admittitur probatio per confessionem adversarii, vel per facti evidentiam, vel per ocularem inspectionem. 8. Admittitur exceptio excommunicationis. Siquidem, & post sententiam opponi potest. *c. 1. de Except. in 6. §. 9.* Si Judex ex causa legitima, velit probationes admittere, quia respectu illius nunquam concluditur in causa. *c. 10. de Fide Instrum.* Denique etiam post conclusionem possunt offerri Judici pro pleniori ejus instructione, allegationes juris. *Menoch. de Arbitr. lib. 1. c. 35. n. 21.* & in Supremis Consistoriis, & Regiis Cancellariis Advocati utriusque partis solent pro suis clientibus doctas, & eruditas allegationes juris facere, ut olim vidi Granatæ, & ita in usu fuit ab antiquo, ut constat ex Orationibus, & Declarationibus Tullii, & Quintilianii. Et tunc permissum est Advocatis Textus citare leges, & Doctorum allegare doctrinas. Justa decisionem Regii decreti consilii *Hispanè: Auto acordado 1. tit. 16. lib. 2.* Quod si negotium magni momenti sit ta-

les

les allegationes typis mandantur: & sufficit, quod ab Advocatis partium subscriptæ sint, quin alia licentia ad earum impressionem requiratur. *L. 24. l. 33. tit. 7. lib. 1. R. C. (*)* non tamen inseruntur tales allegationes in processu, nec adversario copia illarum datur, cum ad meram Judicis instructionem fiant. *Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 10. n. 8. Hevia in Cur. p. 1. §. 16. n. fin.* Et in hac Civitate jam non semel visum est Advocatos Regiam Cancellariam pro suis clientibus allegaturos in jure, adire, postquam hic juris Cathedra ex N. Potentissimi Regis Philippi concessionem erectæ sunt. Quod si quis hoc philantia sinistrè tribuat. Candide dicam cum Horatio: *Si quid novisti rectius istis, candidus imperti: si non, his utere mecum.*

74. Omnibus igitur terminis probatoriis elapsis, de Jure Communi datur dilatio arbitrio Judicis ad proferendam sententiam. *L. 71. ff. de Judic.* In nostra Hispania Judex interlocutoriam sententiam proferre debet intra sex dies: definitivam verò intra viginti dies à die conclusionis in causa numerandos: alias litis retardatæ duplicatas expensas solvet, & 50. millium marapedinorum poenam incurret. *L. 1. tit. 17. lib. 4. R. C.* quod quidem locum habet, si Judex à parte requiratur, non alias. *Acoved. ibid. n. 2.* & deducitur ex ipsa Lege, ibi: *Desque fueren las razones cerradas en el pleyto para dar sentencia interlocutoria, o definitiva, el Juez de, y pronuncie, a pedido de parte, la sentencia interlocutoria hasta seis dias, y la definitiva hasta veinte dias: y si assi no hiciere, peche las costas, que se hiciere dobladas, hasta que de, y pronuncie sentencia; y demás, que el Juez que la dicha sentencia no diere a los terminos susodichos, que incurra en pena de cinquenta mil maravedis para la nuestra Camara: la tercia parte de la dicha pena para el acusador, o para el nuestro Procurador Fiscal si el proseguiere la dicha causa.* Contra sententiam definitivam latam olim perpetuò nullitas poterat opponi. *L. 1. C. Quando provocar. l. 4. tit. 26. p. 3.* Hodie tamen in nostra Hispania tantum potest opponi intra 60. dies ab intimatione sententiæ. *L. 2. tit. 17. lib. 4. R. C.* *Et ibid. Acoved. ex n. 22. Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 12. ex n. 5.* nisi nullitas proveniat ex defectu jurisdictionis in Judice, qui sententiam tulit. Nam tunc, & in

aliis casibus videndis apud *Acoved. ex n. 25.* non procedit prædicta sexaginta dierum dilatio. Quod si partes non possint adversus sententiam nullitatem objicere, possunt ab ea tanquam injusta regulariter appellare. Hæc appellatio debet interponi Jure Canonico, Civili, & Hispano antiquo intra decem dies à sententiæ intimatione. *c. 15. de Rejudic. Auth. Ho die, C. de Appellat. L. 2. tit. 23. p. 3.* Sed Jure Regio noviori intra quinque dies à sententiæ notificatione debet interponi appellatio. *L. 1. tit. 18. lib. 4. R. C.* Postquam sententia transit in rem judicatam, vel quia non fuit appellatum, vel quia appellatio interposita fuit deserta, vel quia jam non erat appellandi locus, tunc proceditur ad sententiæ executionem, pro qua variæ dilaciones dantur. Nam ad executionem sententiæ in causa capitali, quando scilicet reus morti tradendus est, tres dies in nostra Hispania conceduntur, in aliis Criminalibus causis terminis executionis arbitrariis est. In causis Civilibus personalibus de Jure Communi solent quatuor menses concedi. *c. 26. de Offic. deleg.* Si verò reus habeat rem, quam restituere debet, hæc potest manu militari capi. *L. 68. ff. de Rei vindicat.* In nostra Hispania postquam sententia in causa Civili in rem transit judicatam proceditur via executiva, de cuius terminis, & dilationibus alibi dicemus. Sciendum tamen est, quod dilaciones, quæ à jure sine Judicis ministerio dantur, quales sunt dilaciones quinque, vel decem dierum ad appellandum, vel decem dierum, qui in via executiva dantur, ut reus executionem impediatur, non possunt à Judice coarctari, nec prorogari, possunt tamen coarctari, vel prorogari alii termini, & dilaciones, quæ cum ministerio Judicis dantur. *Menoch. de Arbitr. cas. 52. à n. 6. Didac. Perez in l. 1. tit. 3. lib. 3. Ordin. Reg. V. Hasta nueve dias. Gonz. in c. fin. h. t. n. 3.* At verò *Paz in Prax. tom. 1. p. 1. temp. 5. n. 20. Hevia in Cur. p. 1. §. 16. n. 3. & Bobadilla.* dicunt, Judicem posse quoscumque terminos, etiam Legales, ex justa causa prorogare, vel coarctare.

T I T. I X.

De Feriis.

75. **F**eria, quæ à feriendis hostiis, quæ talibus diebus immolabantur, dictæ sunt etiam vocantur dies

(*) NOTA. Hodie per Regiam resolutionem nobilissimam, & per Providentiam ad illius observationem, die 22. Novemb. 1752. datam, cum Regia approbatione, à D. D. Joanne Antonio Curiel, Equite Galatravensi, in Supremo Castellæ Senatu Consiliario Regio, & omnium hujus Regni Typorum, ex Regia Scholâ, Judice peculiari, licentia specialis illius, vel Judicis Tribunalis ubi negotium pendet, requiritur ad hoc, ut similes Allegationes possint prelo mandari.

festi. *L. 2. c. de Statuis*, & *imag.* suntque dies, quibus à negotiis forensibus cessatur, & ideo *nefasti* hæc tria dicuntur, quia non licebat iudici hæc tria verba fari. *Do, Dico, Ad dico*, ut ait *Ovid. lib. 1. Fastor.* *Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur. Fastus erit per quem Lege licebit agi.* Nam in his tribus solemnibus verbis universa Prætoris iurisdictione comprehendebatur. *Dare* enim ad iudicis dationem pertinebat. *Dicere* ad prolationem sententiæ. *Addicere* ad sententiæ executionem spectabat. In Ecclesia tamen omnes hebdomadæ dies, præter Dominicam, & Sabbatum, feriæ appellantur, relegatis jam nominibus Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, & Saturni. *c. 11. de Celebrat. Missar.* Dies etenim dicti sunt à Diis, quibus ordine prædicto Gentiles eos sacrauerunt, teste *D. Isidor. lib. 5. Etimol. cap. 30.* Prima enim hebdomadæ dies: Solis olim à Gentilibus nuncupabatur. *L. 7. c. h. t.* Judæi verò primam Sabbati talem diem appellabant, id est, primam diem Sabbati: nam Sabbatum etiam sumebatur pro hebdomada, juxta illud *Luc. 18. Jesu- no his in Sabbato.* Sed Catholici jam à tempore S. Joannis Apostoli diem Dominicam vocant primam hebdomadæ diem. Sic in *Apocalyps. cap. 1. v. 10. ait: Fuit in spiritu in Dominica die.* Sic enim indigitatur quasi dies Domini, vel quasi Deo specialiter consecrata: & merito sic per antonomasiam appellatur. Nam hæc die creavit Deus Universum, resurrexit à mortuis, misit Spiritum Sanctum, ploit manna de Cælo in desertis: apparuit Stella Magis: Christus fuit baptizatus: Israelitæ transierunt per mare rubrum: Christus D. convertit aquam in vinum in Cana Galilææ, aliaque prodigia in tali die facta ex SS. Patribus, & Conciliis affert *Didac. Ximen. in Lexic. Eccles. V. Dominica*, & ob ejus celebritatem tali die non jejuntur. *c. 7. D. 30. c. 14. de Cons. D. 3.* Et in hoc die fiunt Ordinationes, & Consecrationes. *c. 5. D. 75.* Et quando publicè oramus in tali die non genua flectimus, sed stamus. *c. 2. h. t. ibi: Diebus autem Dominicis, & aliis præcipuis festivitatis, sive inter Pascha, & Pentecostem genuum flexio nequaquam debet fieri: nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto.* Et ideo tempore Quadragesimæ cum in Meridie Sabbati oramus, estare debemus, cum jam sit elapsum tempus Vesperas recitandi, nec in diebus Dominicis licet Tauros agitare.

76 Feriæ igitur aliæ sunt ordinariæ, extraordinariæ aliæ. Ordinariæ, quæ etiam

dicuntur *Solemnes, Stativæ, & Anniversariæ*, sunt illæ, quæ à jure definitæ singulis annis recurrunt. Si in honorem Dei, & Sanctorum sunt institutæ *Sacræ* dicuntur, ut dies Domini, & festi, & dies qui currunt à Dominica. Palmarum ad Dominicam in Albis. *c. fin. h. t. L. 1. tit. 23. p. 1.* Hæc feriæ Sacræ incipiunt à Vespera usque ad Vesperam. *c. 2. h. t. juxta præceptum Judæis datum Levit. 23. v. 32. à Vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Sed hodie hoc solum observatur quoad celebrationem Divinorum Officiorum: quoad vacationem verò ab operibus servilibus feriæ incipiunt à media nocte usque ad alterius noctis medium. Itaque durant per diem naturalem 24. horarum. Quod si feriæ sint in hominum gratiam institutæ *profane* dicuntur, ut feriæ nundinarum. *L. un. c. de Nundin. messium*, ut vendimiarum. *L. 1. l. 4. ff. h. t. c. 2. cod. L. 1. tit. 23. p. 1. L. 37. tit. 2. p. 3.* Hæc reducantur feriæ nuptiarum, quæ antiquitus erant à Dominica prima adventus usque ad Epiphaniam, à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ inclusivè, & tribus hebdomadis ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, non quidem immediate, sed mediate scilicet, à Dominica Rogationum usque ad festum SS. Trinitatis exclusivè. *c. 4. h. t. c. 10. 33. q. 4.* Sed hæc feriæ jure novo. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 10.* restrictæ sunt ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè: in his enim feriis, licet non prohibeatur matrimonium, etiam in facie Ecclesiæ, & coram Paroco celebrari, nec copula, seu consumatio illius. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 7. n. 23. cum aliis.* Contra *Silv. & alios*: prohibentur tamen solemnitates matrimonii, cum devotionem hoc tempore ab Ecclesia intendit distrahant. Prohibentur igitur benedictio nuptiarum, Hispanè: *Velaciones*: *c. 1. 30. q. 5. Convivia*, traductio solemnitas (secus privata) uxoris in domum viri. *c. 11. 33. q. 4.* Sabbato tamen ante Dominicam Adventus possunt dari benedictiones nuptiales *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 7. n. 2.* Feriæ *extraordinariæ*, quæ etiam *repentinæ* dicuntur, sunt quæ pro occurrentibus circumstantiis indicuntur: v. g. ob Principis adventum, inaugurationem, nuptias, nativitatem, victoriam; vel ob pestem, seditionem, & similia. *L. 7. c. h. t. L. 1. tit. 23. p. 1. L. 36. tit. 2. p. 3.* Et cum ob favorem publicum sint constitutæ, non, possunt partes illis renuntiare. *L. 38. ff. de Pañis.* Sicut nec renuntiare

valent feriis Sacris in honorem Dei institutis ob majoritatem rationis. *C. fin. h. t.* At verò feriis vindemiarum, vel messium, cum principaliter in favorem partium sint institutæ, bene possunt eis renuntiare expressè, vel tacite, utro in illis comparando in iudicio. *L. 1. ff. h. t. c. fin. cod.* sed neque Judex, neque testes, in quorum favorem quoque concessæ sunt, tenentur inviti his diebus in iudicium, extra casum urgentis necessitatis, venire. *L. 38. tit. 2. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. V. Et Judgador.*

77 Ipsa ratio naturalis dicitur aliquem diem sanctificare; postea Hebræis in Legè Scripta fuit impositum præceptum Sabbatum custodiendi: quod quidem fuit tertium Decalogi præceptum, & ultimum primæ Tabule sub his verbis. *Memento, ut diem Sabbatis sanctifices. Exod. 20. v. 8.* Et quidem hoc præceptum erat morale, quantum absolute præcipiebat cultum Dei æternum: erat tamen ceremoniale, quantum diem Sabbati in signum creationis Mundi designabat. *D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 1. ibi: Dicendum, quod præceptum de Sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum est partim morale, partim autem ceremoniale. Morale quidem, quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ advacandum Divinis. Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc quod cuiuslibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus; sicut corporali refectio, somno, & aliis hujusmodi. Unde etiam spiritali refectio, quantum hominis in Deo reficitur secundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum Divinis cadit sub præcepto morali. Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis Mundi sic est præceptum ceremoniale. Similiter etiam ceremoniale est secundum allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in Sepulcro, quæ fuit septima die. Et similiter secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo: & secundum hoc quodammodo est præceptum generale. Similiter etiam ceremoniale est secundum significationem Anagogicam, prout scilicet præfiguratur quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Unde præceptum de Sanctificatione Sabbati ponitur inter præcepta Decalogi, in quantum est præceptum morale, non in quantum est ceremoniale. In Lege verò Gratiæ diem Dominicam loco Sabbati observamus ex præcepto Ecclesiæ: & quidem verisimiliter tradito ab Apos-*

tolis verbo tenus, & à toto Populo Christiano recepto, posteaque Legibus Ecclesiasticis confirmato. *c. 1. de Cons. D. 3. c. 1. c. fin. h. t. D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4. ibi: Dicendum, quod observantia diei Dominicæ in nova Lege succedit observantia Sabbati, non ex vi præcepti Legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine Populi Christiani: nec enim hujusmodi observatio est figuralis, sicut fuit observatio Sabbati in Veteri Lege: & ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominicæ sicut in die Sabbati. Sed quedam opera conceduntur in Die Dominicæ, quæ in die Sabbati prohibebantur: sicut decoctio ciborum, & alia hujusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in Nova, quam in Veteri Lege: quia figura pertinet ad protestationem virtutis, quam nec in modico prætereire oportet. Opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco, & tempore. *Suar. de Relig. rom. 1. lib. 2. cap. 1. & 4.**

78 Præter dies Dominicæ, alias festivitatis Ecclesiæ observari præcipiuntur de quibus in *C. 1. de Cons. D. 3. C. fin. h. t. L. 1. l. fin. c. cod. l. 34. tit. 12. p. 3.* Dies ergo festi, qui in tota Ditione Hispana servantur, præter omnes anni Dominicæ, sunt sequentes: In Mense Januarii. Die 1. Circumcisio. 6. Festum Regum. Februar. 2. Purificatio. 24. vel 25. S. Mathias Apost. Mart. 19. S. Josephus. 25. Annuntiatio B. Virg. Mai. 1. SS. Philippus, & Jacobus Apostol. 3. Inventio S. Crucis. 15. S. Isidorus. Jun. 13. S. Antoninus Patavimus. 24. S. Joannes Baptista. 29. SS. Petrus, & Paulus Apostol. Jul. 25. S. Jacobus Nostræ Hispaniæ Apostolus, Protector singularis, & Patronus. 26. S. Anna. Aug. 10. S. Laurentius. 15. Assumptio B. Virg. 24. S. Bartholomæus Apost. Sept. 8. Nativitas B. Virg. 21. S. Mattheus Apost. 29. S. Michael Arcang. Octob. 28. SS. Simeon, & Judas Ap. Nov. 1. Festum Omnium Sanctorum. 30. S. Andreas Ap. Decemb. 21. S. Thomas Ap. 25. Nativitas D. N. Jesu Christi. 26. S. Stephanus. 27. S. Joannes Evang. 28. SS. Innocentes. 31. S. Sylvester. Ascensio Domini Dominica Resurrectionis, cum 2. seqq. Dominica Pentecostes cum 2. seqq. Festum Corporis Christi. In Indiis servatur ab Hispanis festum S. Rosæ Limanæ 30. Augusti, Indiarum Patronæ. Alicubi non servantur dies SS. Innocentium, & S. Sylvestri: deberent tamen servari cum continentur in *c. fin. h. t. & in Bulla Urbani VIII. 1642. Quintanar. t. 2. Sing. tit. 1. cap.*

cap. 2. n. fin. Salmaticens. tom. 5. tr. 23. cap. 1. n. 93. & 95. Indi. Æthiopes, Sinae, & ab his progeniti, quos *Mestizos* appellamus, tantum tenentur servare dies qui Cruce notati sunt: in Calendariis Indiarum, in reliquis autem festis possunt, si velint laborare: sed non possunt ad hoc compelli. Ac proinde præter Dominicas solum decem dies festos servare tenentur. Principes, vel Magistratus Saculares Superiorem non recognoscentes possunt indicare ferias profanas, quia ad finem merè Politicum ordinantur. L. 7. c. h. t. L. 1. tit. 23. p. 1. l. 36. tit. 2. p. 3. Et tales sunt illæ feriae, quibus jus in Tribunalibus non dicitur: quas *Hispanè* vocamus *Fiestas de Corte*. Et variæ sunt in his Indiarum Audiendi, licet solum diebus festis hanc vacationem permittat. L. 18. tit. 15. lib. 2. R. Ind. sed nequeunt ferias Sacras indicare, ut contra Hæreticos, & aliquos Catholicos tenent *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 12. n. 2. Barbos. de Offic. Episcop. alleg. 105. n. 38. & alii*: quia potestas indicendi ferias Sacras in honorem Dei, & Sanctorum, cum spectet ad cultum Divinum & Religionem est spiritualis, ac proinde Laicis competere nequit. c. 10. de Constitut. Residet ergo potestas indicendi ferias Sacras penes Magistratus Ecclesiasticos, consequenterque solus R. Pontifex potest tales ferias pro Universa Ecclesia indicare. *Arg. c. 1. de Reliq. & venerat. Sancti* ubi dicitur, quod sine Papæ licentia nullus potest pro Sancto venerari. Quia cum ipse solus sit Supremus Ecclesiæ Legislator, ipse solus potest Legem ponere, quæ totam obliget Ecclesiam. *Extr. 1. de Major. & obed.* Pro sua tamen Diocesi potest quilibet Episcopus dies festos indicare. c. 1. de Cons. D. 3. c. fin. h. t. Et ibid. *Barb. n. 23. L. 1. tit. 23. p. 1. ibi*: *Fiesta tanto quiere decir como día honrado, en que los Christianos deben oír las horas, è facer, è decir cosas, que sean à alabanza, è servicio de Dios, è à honra del Santo, en cuyo nome la hacen: è tal fiesta como esta es aquella, que manda el Apostólico facer, è cada Obispo en su Obispado, con ayuntamiento del Pueblo, à honra de algun Santo, que sea otorgado por la Iglesia de Roma.* Sed licet antiquitus requireretur ad festum in Diocesi indicendum consensus Cleri, & Populi præsentia: hodie tamen solus Episcopus sine alterius consensu indicit festum, dum tamen, ut notat Lex Regia, Sanctus in cujus honorem festum indicitur sit Canonizatus, vel saltem Beatificatus. *Barbos. in c. fin. h. t. n. 24.* Sanè per con-

suetudinè cum consensu saltem tacitè potentis festum instituire, etiam potest induci obligatio aliquem diem festum celebrandi. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 12. n. 5*: possunt tamen Principes Saculares suis Legibus coadjuvare ad festorum observationem quæ sunt ab Ecclesia statuta. L. 2. l. fin. c. h. t. l. 34. tit. 2. p. 3. 79. Nunc dicere debemus quomodo dies festi servandi sint, & quid in illis fieri præcipiatur, & prohibeatur. Diebus ergo festis tenentur Christi fideles, etiam pueri, dum usum rationis habeant, & quidem, sub gravi, Missam integram audire. c. 64. de Cons. D. 1. ibi: *Missas die Dominico totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præsumat, quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.* L. 2. tit. 23. p. 1. ibi: *Mas devese trabajar de yr apuestamente, è con gran humildad à la Iglesia, cuya fiesta guardan, si la oviere, y è si non, à las otras, è oír las horas con gran devocion, è desque salieren de las Iglesias debèn facer, è decir cosas, que sean à servicio de Dios, è à pro de sus almas.* Et ibid. *Greg. Lop.* ubi bene notat, quod plura ex prædictis continent ad honestatem, nec ex necessitate fiunt. Et hinc deducitur universalis consuetudinis approbatio, qua homines utuntur diebus festis, vestibus honorabilioribus, & magis pretiosis: non tamen ex hoc approbatur, quod ad Ecclesias pompaticè accedant, ut reprehenditur apud *Amos 6. v. 1.* præcipue si illa pompa indecentiam afferat, vel scandalum generet. In hoc ergo præcepto sub culpa gravi tenentur omnes fideles Missam integram audire: si verò parum Missæ omittatur, v. gr. usque ad finitam Epistolam, solum erit veniale peccatum. Sufficit tamen audire dimidiam Missam unius Sacerdotis, & dimidiam alterius successivè. Potest etiam quis dum Missam audit, horas, vel Rosarium recitare. Etiam potest quis simul plures Missas, quæ in diversis altaribus dicuntur; audire, & pluribus hoc modo obligationibus satisfacere. A Missæ auditione excusatur non solum impotentia naturalis, v. g. infirmitas, vel incarcerationio, sed etiam impotentia moralis, qualis est magnus labor, notabilis bonorum amissio, gravis difficultas, magna distantia, incommoditas itineris, acris intemperies, pluvia, vel si in publicum quis sine mago dedecore non possit exire, ut innupta prægnans, vel vidua immediatè post mariti mortem contra consuetudinem viduarum honestarum illius Provincie, vel qui caret veste suo

sta-

statui conveniente, vel si ægroto assistat, vel Milites, qui portas, & castra custodiunt Civitatis. Idem dicendum est de Indis, qui in his Insulis proprias domos custodiunt, quando à Populo sunt valde distantes: aliaque similia ab audienda Missa excusant. Interim tamen debemus præsentibus habere has Propositiones damnatas ab *Innoc. XI.* scilicet 52. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes: imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Et ratio hanc dammandi est, quia una Missa, est unum totum successivum, quod consistit in motu actionum, & verborum sibi succedentium: & quamvis unum successivum alteri successivo coexistere valeat, ac proinde duæ Missæ simul audiri: non tamen potest pars successivi, ejusdem successivi alteri parti coexistere, & idè non impletur præceptum audiendi Missam integram, audiendo simul plures partes diversarum Missarum inter se penetratas. *Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 608.* ubi plura de his.

80. Varia prohibentur diebus festis fieri. Et quidem 1. prohibentur opera servilia. c. 3. h. t. ibi: *Licet tam veteris, quam novi testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputaverit, & tam eos, quam alios dies Majestati Altissima deputatos, necnon natalitia SS. Martyrum Ecclesia decreverit observanda: & in his ab omni opere servili cessandum.* L. 2. tit. 23. p. 1. ibi: *Guardadas deben ser todas las Fiestas, de que habla en la Ley ante desta, è mayormente las de Dios, è de los Santos, porque son espirituales, è à las debèn todos los Christianos guardar, è demás desto non debe ningun Judgador judgar, nin emplazar en ellas, nin facer aquellas labores, que suelen facer en los otros dias.* Opera servilia, quæ prohibentur, sunt illa opera ignoviliora, quæ utilitati corporis immediatè deserviunt, ut fabricare, artefacta conficere, arare, imprimere, texere colores, tingere, colorare asseres, vel pannos, vel dealbare parietes, ducere jumentum, currum, vel navigium mercibus onustum; si tamen ante festum talia itinera incepta sint, possunt etiam die festo continuari, vel ob publicam utilitatem, vel ad vitandum damnum. Non tamen prohibentur die festo opera liberalia, quæ scilicet immediatè ad instruendam mentem propriam, vel alienam referuntur, ut legere, docere, scribere, vel transcribere, musicam exercere, ludere,

Tom. I.

choreas ducere, bellica exercitia facere, etiam tempore pacis, venari, & piscari moderatè in flumine sine magno labore, etiam ob lucrum; non tamen licet piscari in mari, quia nec est in usu, nec regularitè sine magno labore fit, bellum gerere, armorum exercitium facere, v. g. digladari, *Hispanè*: *Esgrimir*, non est servile, sicut nec saltare, vel pulsare cytharam. Pingere acu, vel penicillo causa adiscendi, vel otii vitandi licitum est, sicut etiam iter agere, vel equis, vel pedibus, vel curru, vel navi. Pingere coloribus, vel penicillo ob lucrum liberalè ab *Azor, Filiuc. & aliis* habetur; at verò *Armilla, Lopez, & alii* hoc negant. Etiam *Layman, & alii* excusant in Typographis litterarum collocatores, quando post Divina Officia collocant neglectum pensum. Barbitonores communiter excusantur, vel parvitate materie, si unum, vel alterum tondeant, vel necessitate, vel consuetudine, vel ob lucrum cessans, vel ob diuturnum oriturum. *Lacr. lib. 3. p. 1. n. 591.* Ad rationem operis servilis non debet attendi, an ex intentione vana, turpi, vel pia, vel an ob lucrum, vel recreationem fiat: ut tenet *Cajetan. Suar. & alii* contra *Silv. & alios*: ac proinde nec illiberale erit docere, scribere, vel transcribere: quamvis ob pretium hæc fiant. Sed omnia opera servilia licitè fiunt in die festo, quando necessitas urget, vel pietas suadet. L. 35. tit. 2. p. 3. c. 1. c. 3. h. t. Et ibid. com. DD. Latè *Suar. de Relig. tom. 1. de Festis. Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 571.* *Dian. in Sum. V. Festum servare*: illos consule, nam ego ad ulteriora propero: nec immorari vacat. 2. die festo juramentum prohibetur. c. 1. h. t. ibi: *Nec Sacramenta nisi pro pace, vel alia necessitate præstentur.* In quo textu nomine Sacramenti juramentum intelligitur, sicut in c. 13. 22. q. 4. & in *Auth. Sacramenta puerum. C. Si advers. vendit.* Ex generalitate igitur Textus in c. 1. h. t. & ex ejus exceptione, scilicet, quod juramentum possit pro pace die festo fieri, deducitur, quod non solum prohibetur in tali die juramentum judiciale, quod nomine *placiti* satis explicatur, & continetur in prædicto textu; sed etiam juramentum extrajudiciale, (non quidem illud, quod privatim, & piè fit) sed quando hoc publicè, & solemniter in conventionibus, contradictibus, vel aliis pactis interponitur. Nec alias aptè exciperetur juramentum pro pace, quod certè extrajudiciale est, cum juxta communè axioma: exceptio debeat esse de regu-

Hh

la.

1a. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. ex n. 16. Gonz. in c. 1. h. t. n. 12. 3. prohibetur mercatum. c. 1. h. t. quo nomine veniunt contractus emptio, & venditionum, & alii similes, si publica solemnitate fiant; non tamen invalidantur tales contractus, ut ex c. 1. h. t. bene deducit *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 2.* ratio prohibitionis est: nam in his commerciis, & nundinationibus animus à devotione distrahitur, & ut dicitur in c. 2. de Pœnit. D. 5. *Difficile est inter eumentis, vendentisque commercium non intervenire peccatum.* Non tamen prohibentur distractiones rerum minoris momenti, quæ necessariæ sunt ad quotidianum victum: imò licet nundinæ, quæ bis, vel semel in anno, & singulis hebdomadis certo die fiunt, *Hispani: Ferias, y Mercados,* sint de jure prohibita. c. 1. h. t. tamen attendendo necessitatem rusticorum, & pauperum, qui non possunt sua opera deserere, & fortiori ratione in his Indiarum partibus, die festo permittuntur. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 29. n. 5.**

81. 4. Non solum in feriis sacris, sed etiam in profanis prohibetur placitum. c. 1. h. t. hoc est, strepitu judicialis, ita ut etiam consentientibus partibus, nec processus habitus, nec sententia teneat. c. fin. h. t. L. 34. tit. 2. p. 3. ibi: *E si en tal manera alguna cosa fuere demandada, è librada, non seria valedero lo que ficiessen, maguer fuesse fecho con placer de amas las partes:* quod etiam habet locum in processu facto coram arbitro: quia ipse servare debet ordinem judicarium. L. 7. C. h. t. cum arbitria ad similitudinem judiciorum sint redacta. L. 1. ff. de Recept. Secus est, si negotium, vel lis agitur coram arbitratore, seu amicabile compositore. Strepitus judicialis à citatione incipere videtur, & in prolatione, & executione sententiæ maximè cessat. Hinc est, quod libellus potest die festo Judici offerri: quia hæc oblatio non fit auctoritate Judicis, sed solum actoris voluntate, sicut etiam licet Advocatum consulere, cum Procuratore de lite agere, Judicem informare, & alia hujusmodi: imò & licet fit inquisitio à Judice circa litem, antequam causa inchoetur. Actus verò judiciales, qui in die feriato fiunt, irriti sunt: tales sunt. 1. mandatum citandi reum, non solum datum à Judice sedente pro Tribunali, ut faciliè omnes concedant, sed etiam quando hoc mandatum decernitur ab ipso non sedente pro Tribunali, ut contra *Joan. And. in c. fin. h. t. & alios tenent Suar.*

de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 4. Gonz. in c. fin. h. t. n. 7. & alii: Nam talis dies debet esse à cognitionibus alienus. *L. fin. C. h. t. & ad tale Decretum debet procedere cognitio, qua Judex statuat terminum, quo reus debet comparere. 2. nec die feriato potest fieri citatio realis per manuum injectionem, nec citatio publica per præconem. Nam ex L. fin. C. h. t. his diebus præconis horrida vox silere debet. Nec per oblationem libelli adversario factam potest ipse citari, quia hoc judiciale strepitum involvit. c. fin. h. L. fin. C. eod. 3. non valet fieri citatio, quæ per litteras, vel Nuntium adversario intimatur. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 5. contra alios.* Nec potest fieri illa citatio, quæ die non feriato decernitur ad diem feriatum expressè, v. g. talis reus compareat in judicio die Dominica: Tunc enim, nec illa die, nec altera, sine nova citatione, tenetur reus comparere: quia citatio, ut nulla, nullum producit effectum: secus est, si fiat ad diem feriatum non expressè: v. g. si reus ex die 20. Junii citetur, ut intra decem dies compareat in judicio, si festum in illum diem incidat, tenetur saltem die sequenti in judicio comparere; arg. c. 6. de Dolo, & contum. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 3.* Sicut si citatus ad diem non feriatum, non possit comparere eo die ex impedimento superveniente: comparebit die sequenti non impedito. c. 6. de Dolo, & contumac. 4. nequit fieri tali die juramentum. c. 1. h. t. ac proinde nulla est depositio testium, quando in ea juramentum præstat: si verò die non feriatum juramentum erat præstitum, posse testes examinari die feriatum, tenent *Durand. Marant. & Gonz. in c. fin. h. t. n. 27.* dicendum tamen est, quod talis depositio est nulla: siquidem illa examinatio maximè pertinet ad formationem processus, & cum processus sit nullus. c. fin. h. t. nulla etiam erit talis examinatio, & depositio. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 16. & alii. 5. Pronuntiatio judicialis sententiæ, ejusque publicatio in causa temporalis, spiritali, criminali, vel civili causæ cognitionem, strepitumque judiciale involvit; ac proinde, si in die feriato fiat, erit nulla. c. fin. h. t. Etiam executio sententiæ est irrita, si die feriato fiat, ut contra *Abbat. & alios tenent Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 11. & alii.* Nam in *L. fin. h. t.* dicitur: *A cum his executionibus excusetur. c. 1. h. t. ibi: Neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur.* Nec reus debet die feriatum**

ratio incarcerari, nisi periculum sit in mora, nec potest eisdem torqueri. Sententiam excommunicationis posse ferri contra aliquos tenet *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 9.* quia est veluti præceptum imponere, præcipue cum excommunicatio sit poena medicinalis ad bonum animæ ordinata: Non tamen licet ferre censuram, si ad eam ferendam sit necessaria causæ cognitio, citatio censurandi, vel quid simile. Etiam die feriato licet appellationem interponere: (prosequi tamen illam non licet) siquidem appellationis interpositio non est actus judicialis, nec exercitium jurisdictionis, cum non à Judice proveniat, sed tantum à parte fiat, & quidem sine strepitu judiciali. Sed si necessitas peritari termini non urgeat, debet saltem de consilio in die non feriato fieri. *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. n. 13.*

82. Die tamen feriato potest judicium institui. 1. ex causa necessitatis. c. 1. h. t. L. 35. tit. 2. p. 3. v. g. si contra latrones proceditur, & periculum sit in mora. L. 10. c. h. t. vel si expedit ad terrorem aliorum, delinquentem puniri in magno Populi concursu. Et hæc de causa in nostra Hispania Hæretici solent publicè judicari, & puniri diebus festis. Vel si reus, vel debitor sit de fuga suspectus, vel actio, vel res tempore est peritura. c. fin. de Judic. L. 3. ff. h. t. vel si datur periculum boni publici, aut privati, vel alia quæcumque necessitas: quia hæc Legem non habet. c. 2. de Observ. jejun. Et ut dicitur in c. 4. de Reg. jur. quod non est licitum in Leg. necessitas facit licitum. 2. ex causa pietatis. c. 1. h. t. sic possunt diebus feriatis expediti causæ alimentorum. c. 3. h. t. pupillorum, viduarum, incarceratorum, & causæ, quæ pertinent ad pacem, & concordiam. c. 17. 22. q. 5. vel ad causam piam, Religionem, & matrimonium spectantes, aliaque hujusmodi. L. 35. tit. 2. p. 3. ubi variè casus referuntur, in quibus potest procedi in die feriato. Et ibid. *Greg. Lop. Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30.* Denique validè exercentur in quocumque die actus jurisdictionis voluntariæ, qui de plano, sine causæ cognitione, & sine strepitu judicii fiunt; arg. à contr. c. fin. h. t. Tales sunt designatio Tutoris, vel Curatoris, & eorum excusatio, vel remotio, manumissio, emancipatio, dispensatio, absolutio, concessio Indulgentiarum, & privilegiorum, approbatio contractuum, confessio, & consignatio instrumentorum, datio veniæ aetatis, creatio Magistratus, & alia, de quibus in L. 2. ff. Tom. 1.

h. t. l. 35. tit. 2. p. 3. Si tamen actus ad jurisdictionem voluntariam spectantes solemnem causæ cognitionem requirant, & aliquo strepitu judiciali indigeant, ut arrogatio impuberum, Decretalis possessio bonorum, & alii similes, nequeunt die feriato fieri. Nam hic debet esse à cognitionibus alienis, ut ait *Text. in L. fin. c. h. t. Gonz. in c. fin. h. t. n. 27.*

T I T. X.

De Ordine cognitionum.

83. ORDO, juxta *D. August. de Civ. Dei, lib. 19. cap. 13.* est dispositio rerum, & collocatio secundum prius, & posterius. Et quidem in omnibus rebus expedit ordinem materię proportionatum servari: ubi enim ordo deest, quid restat, nisi chaos, rudis inigestaque moles: nec quidquam nisi pondus iners congestaque eodem non bene junctarum discordia semina rerum? Et ideo postea dicitur: *Hinc Deus, & melior litem natura diremit: nam celo terras, & terris abscondit undas: & liquidum spisso secrevit ab ære caelum; quæ postquam evoluit cœoque exemit æther dissociata locis contordi pace ligavit.* Quod ergo in natura accidit, sua proportione in judicio servari oportet: Et quia solent plures in uno judicio quæstiones cumulari, quæ non possunt simul decidi, ne confusio generetur cum justitiæ, & partium detrimento, ideo debet in earum cognitione ordo servari; tum unius causæ ad se ipsam, quando scilicet concurrunt exceptio, & causa principalis: tum unius causæ ad aliam, quando scilicet causa criminalis, & civilis, petitoria, & possessoria concurrunt. Quando ergo duæ causæ in judicio proponuntur, debet prius cognosci, & pronuntari de illa, à qua altera dependet. L. 16. L. 17. L. 18. ff. de Except. Sic prius cognoscitur de causa possessionis, ut sciatur, cui incumbit onus proprietatem probandi: prius de Causa Clericatus, ut constet, an Judex Sæcularis possit contra reum judicare; prius de excommunicationis exceptione contra actorem opposita, ut constet, an possit in judicio agere: prius de causa præjudiciali incidente, sive civilis, sive criminalis, sive major, sive minor sit causa principalis: & tunc Judex debet supersedere in causa principalis. c. fin. 3. q. 11. v. g. si petenti hereditatem eorum Judice Sæculari obijciatur ab adversario, quod non est legi- Hh 2 gi-

gitimus, cum hac exceptio causae principali praedictae, prius de legitimitate debet Ecclesiasticus cognoscere. *c. 5. Qui filii sint legitimi.*

84. Causa major, praefertur minori. *L. 4. tit. 10. p. 3. nisi causa minor sit praedictae. L. 54. ff. de Judic.* Sic causa spiritualis, quia dignior, praefertur, & praecedit temporalem; *arg. c. 3. de Consecrat. Eccles. Criminalis*, quia regulariter est majoris periculi, praecedit civilem. *L. fin. C. de Ordin. Judic.* Causa proprietatis, causam servitutis. *L. 16. ff. de Exception.* Causa possessoria etiam praecedit petitoriam propter possessionis commoda. Quod si ambae causae aequales sint, antiquior debet praeferi, quia potior est; *arg. L. 29. ff. de Judic. l. 4. tit. 10. p. 3.* si in causam principalem quaestio incidat respectu cuius Judex incompetens sit ratione connexionis, & ne dividatur contentia causarum, potest de incidente cognoscere. *L. 3. C. de Judic.* v. g. si coram Iudice Ecclesiastico incidat causa temporalis ad saecularem pertinens, tunc Judex Ecclesiasticus ob causarum continentiam, & connexionem etiam de re temporali cognoscit. *C. 1. Qui filii sint legitimi. c. 2. de Conjug. servor.* Si vero Judex non solum incompetens, sed & incapax sit respectu illius causae v. g. Laicus respectu causae per se spiritualis, debet in eius cognitione supersedere ob jurisdictionis defectum, quousque Judex Ecclesiasticus de incidente cognoscat. *c. 3. h. t. c. 5. c. 7. Qui filii sint legitimi.* ubi dum Judex Ecclesiasticus cognoscit de causa legitimitatis incidente, supersedet saecularis in causa principali hereditatis. Si vero causa incidens non sit spiritualis, sed profana, & tantum sit Ecclesiastica, quia contra Clericum agitur; tunc Judex Saecularis potest de ea cognoscere: sic quando Clericus contra Laicum agit coram saeculari, si incidat quaestio de solvendis expensis ab actore, de hac potest saecularis cognoscere. In nostra Hispania: si causa majoratus in iudicio *Tentae* tractetur in Supremo Senatu, & opponatur illegitimitatis exceptio, non suspenditur causa possessoria, sed in eodem Senatu discutitur, & remittitur causa proprietatis ad Regiam Cancellariam, cui correspondet. *L. 10. tit. 7. lib. 5. R. C.* Si vero ibidem rursus objiciatur, suspenditur causa principalis, donec coram Ecclesiastico causa illegitimitatis terminetur: quia cum causa illegitimitatis requiritur prolixiorum discussionem, in possessorio *Tentae* proceditur ex *L. 45. Tauri. Molin.*

de Primog. lib. 3. cap. 13. qui de hac praxi testatur. *Gonz. in c. 3. h. t. n. 16.* Si quaestio incidens pertineat ex se ad Ecclesiasticum, sed sit mori facti, quando reus Conventus est Laicus, est mixti fori, ac proinde potest Saecularis de ea cognoscere. *Arg. c. 8. de Sentent. Excom. in 6.* ubi Iudices Saeculares cognoscunt an litigantes sint excommunicati. Et in *c. 2. de Jur. iur. in 6.* ubi dicitur, quod Iudicibus Saecularibus potest legitime de juramento praestito constare. Et ita tenent *Solorzano de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 3. n. 35. Gonz. in c. 3. h. t. n. 3. & alii. Contra Baldon. Joannem Anar. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 84. n. 31.*

85. Quando in iudiciali controversia opponitur exceptio peremptoria: v. g. si contra mulierem vindicantem iudicio petitorio aliquem in maritum, opponatur consanguinitas, prius discutienda est exceptio, quam causa principalis matrimonii & sufficiet, super ipsa causa principali pronuntiari. *c. 1. h. t.* quia ex exceptione dependet causa principalis, & probata exceptione perimitur actoris petitio, cum non possit stare matrimonium, probata consanguinitate: quod si inverso ordine procederet Judex cognoscendo prius de questione principali, & mox de exceptione posset accidere, quod si ferret sententiam in favorem matrimonii, probata postea exceptione, sententiam retractare teneretur, & exitus iudicii esset diuturnior: & processus implexus, obscurus, & contrarius evaderet. Si vero mulier esset marito spoliata, & intentaret possessorium recuperanda possessionis, ante omnia debebat mulier restitui, antequam cognoscat de consanguinitatis exceptione. *c. 16. de Offic. deleg. c. 4. Ut sit non constat. c. 10. c. 13. de Restitut. spoliat.* Nam spoliatus debet ante omnia restitui. *L. 5. tit. 10. p. 3.* Et sic concordantur praedicti Textus, qui alias contrarii videntur. Discussa tamen causa exceptionis peremptoriae, non est necesse super eadem sententiam pronuntiare. *L. 1. C. de Ordin. iudicior.* nisi coram diversis iudicibus agitentur. *c. 3. h. t. c. 5. Qui filii sint legitimi.* quia pronuntiatio super negotio principali v. g. super valore matrimonii continet pronuntiationem super peremptoria, scilicet, super consanguinitate. *Arg. c. 12. de Sentent. & re iudic.* Nam si declaratur matrimonium nullum esse, est idem ac si consanguinitas esset probata, & contra, si matrimonium validum pronuntietur, consanguinitatis

ex-

exceptionem locum non habere pronuntiarum censetur. Si vero opponatur exceptio dilatoria, quales sunt exceptiones iuramenti, sententiae latae, vel quod Judex, vel actor est excommunicatus, & aliae similes, non solum prius cognosci de dilatoria debet, sed etiam de ea est pronuntianum, antequam de causa, vel negotio principali tractetur. *L. 4. C. de Dilatation. L. 26. C. Ad. Leg. Jul. de Adulter.* nam vi talium exceptionum, si probentur, non est procedendum ulterius in iudicio: prius ergo est pronuntianum super exceptione expressae, vel saltem tacite, hoc est, contrarium actum exercendo: & sic quodammodo conciliantur duae opiniones contrariae, quarum una absolute asserbat, iudicem super quacumque exceptione proposita debere pronuntiare, ex *L. 47. ff. de Rejudic.* Et hanc approbat Noster Rex Alphonsus in *L. fin. tit. 3. p. 3.* & altera, quae absolute negabat, super exceptione esse pronuntianum, cum sat esset super negotio principali pronuntiare. *Sic Gonz. in c. 1. h. t. n. 15.* & hoc in praxi est admissum in Nostra Hispania, & comprobatum in *L. 1. & 2. tit. 5. lib. 4. R. C.* ut notat *Greg. Lop. in l. fin. tit. 3. p. 3. V. E non debe iradelante*, & addit, quod si iudici opponatur incompetentia, necesse est, quod super hoc pronuntietur: quod si procederet ad ulteriora, non pronuntianum, se esse iudicem competentem, non valeret processus, cum non sit Judex certus de sua potestate. *Arg. L. 3. ff. de eo, qui pro Tutore.*

86. In casu spoliis potest contra actorem spoliantem spoliolum super alia, & diversa re dupliciter opponi; vel per viam exceptionis, & tunc prius est audiendus reus super illa, & ea probata, non tenetur actori respondere, quia est exceptio dilatoria, quae proponitur ante litem contestationem, ac proinde audiendus est reus, antequam respondeat libello, etiamsi actor ageret de spolio ab ipso reo facto, quia in causa aequali favorabilior est reus, quam actor. *L. 125. ff. de Reg. iur.* vel potest opponi spoliolum, etiam per viam actionis, & tunc erit reconventio, reusque tamquam actor habetur, & causa est aequae principalis, ac conventio: Sicque utraque simul tractari, ac determinari debet: ut sic circuitus videntur. *L. 53. ff. de Condit. indebit.* Attamen illa, quae prius fuit proposita debet praeferi in cognitione, & prolatae sententiae. *Arg. L. 29. ff. de Judic. l. 4. tit. 10. p. 3.* & probato spolio a reo Judex actorem condemnat ad restitutionem. *L. 5. tit. 10. p. 3.* Secus, quan-

do spoliolum opponitur ut exceptio, quia cum huius finis solum sit repellere actorem, non vero petere aliquid ab eo. *L. 17. ff. de Eviction.* Judex pronuntianum secundum partis intentionem. *c. 24. de Accusat. ibi: Ilo semper adhibito moderamine, ut juxta formam iudicii, sententia quoque forma dicitur.* Etiamsi reus exceptionem probaverit, solum poterit Judex actorem repellere: sed non restituetur reus. Quae omnia constant ex *c. 2. h. t.* Aliquando vero non admittitur exceptio spoliolum. Scilicet. 1. In causa notaria. *Arg. c. 17. 2. q. 1.* nisi etiam spoliatio sit notoria: Nam tunc non potest spoliatus cogi ad satisfaciendum, nisi prius restituatur. 2. In causa matrimoniali, & aliis spiritualibus, vel quasi spiritualibus non admittitur contra agentem exceptio spoliolum rerum privatarum. *c. 1. §. fin. de Restit. spoliator. in 6. 3.* Si periculum sit in mora. 4. Quando imploratur officium iudicis nulla instituta actione: quia ubi non datur actio, nec exceptio competit, quae est ejus exclusio: Et quidem in praedictis casibus omnia exceptione; proceditur in cognitione causae principalis.

TIT. XI.

De Plus Petitioibus.

87. Quatuor modis plus petitur, quam quod a reo actori debetur. *c. un. h. t. §. 33. Inst. de Actionib.* quos continet hic versus: *Plus petitur causa, vel tempore, re que, loco que.* 1. Causa plus petitur; ex *Greg. in c. un. h. t. & Justin. in §. 33. Instit. de Action. l. 42. tit. 2. p. 3.* Cum aliqui in genere, vel sub alternatione debetur, & rem in specie, vel unum praecise peti contingit. Etiamsi villus sit, quod petitur, v. g. si quis promissit equum in genere, & alter peti talem equum determinate, vel si promissit librum, vel pecuniam, & alter petat determinate librum: quia in his promissionibus electio est promissoris: nisi ad ipsum creditorem pertineat electio: quia verba ab ipsum dirigitur: nam tunc potest petere rem, quam maluerit. *Molin. de Just. & iur. tr. 2. D. 270. n. 5.* vel si ante impletam promissionem unus ex duobus equis promissis perierit, & promissor fuit in culpa. Nam tunc tenetur superseritem dare: si non fuit in culpa, sufficet, si det vel equum superseritem, vel ejus aestimationem, prout ma-

luc-

luerit. *L. 95. §. 1. ff. de Solution. 2.* Plus petitur: si decem sint debita, & viginti petantur. Si verò ultra rem principale debitam petat quis fructus, vel pensiones non debitas, non dicitur plus petere; quia non attenditur, quod accessorie petitur. *3. loco.* plus petitur, cum quis non ubi convenit solvere, sed alibi convenitur: v. g. si qui promissit dare centum Acapulci conveniatur Manilæ: Nam debitori aufertur utilitas quam percipere posset, v. gr. negotiando illa pecunia, si cogitur solvere Manilæ cum sit conventum de solutione Acapulci faciendâ. Si tamen debitor numquam in loco convento reperitur, alibi potest conveniri, ne creditor suo debito privetur, & ne debitori sua malitia, vel dolus suffragium præstet: Quando verò debitor est de fuga suspectus, potest creditor petere, quod præstet cautionem. *4. tempore* plus petitur cum ante diem, vel conditionem petitur quod ad talem diem, vel sub tali conditione debetur, quia privatur debitor commoditate, quam posset habere, differendo solutionem: nam interim posset aliquid, negotiando illa pecunia lucrari. Ex iusta tamen causa potest ante diem peti. Sic si maritus vergat ad inopiam, potest uxor etiam constante matrimonio dotem repetere. Etiam filius, adhuc vivente patre, potest petere, ut ipsi legitima assignetur, si pater bona dissipat. Successor majoratus petere potest, declarari, ad ipsum pertinere majoratum post mortem possessoris, quando hic in alium intendit transferre majoratum.

88 Si creditor per errorem aliud, vel minus petat, quam sibi debetur non ipsi nocet hæc petitio. *L. 1. §. fin. c. h. t. ibi: Si verò quis minus, quam re vera sit taxaverit suam litem; nec ad hoc respiciat Judex, sed in veram quantitatem calculum ferat.* *§. 34. & 35. Inst. de Actiõ. Olim* plus petentes causa cadebant, id est, amittebant litem cum toto debito, nec facillè restituebantur. *§. 33. Inst. de Actiõ. Hodie* verò, qui plus re, causa, vel loco petit in omne damnus, quod sua petitione debitori intulit condemnatur in triplum. *§. 33. Inst. de Actiõ. Qui* verò petit debitum jam solum committit crimen *Stellionatus. L. 29. §. 5. ff. Mandat. In Jure Canonico* nulla sit mentio hujus poenæ tripli. *in c. un. h. t. sicut* ablatâ censetur. *Gonz. in c. un. h. t. n. 14.* Imò serè nubli in praxi servatur ut ait *Arnold. Vin. in §. 33. Inst. de Actiõ. Poena tempore* plus petentis est, quod induciæ duplicantur adversario ad solutionem faciendam. In

Nostra Hispania, quicquid alibi sit, induciæ duplicantur tantum respectu temporis ab actore præventi, & in expensis condemnatur. *L. 45. tit. 2. p. 3. ibi: Mas el Jgador por pena debe alargar el plazo otro tanto adelante, quanto la demandó el ante del plazo, a que la debiera demandar. Et ibid. Greg. Lop.* nec litem cogitur suscipere debitor nisi prius illi expensæ à plus tempore petente solvantur. *c. un. h. t. l. 2. C. eod. Qui* verò non solum plus petit in quantitate, sed etiam dolosè à reo exigit cautionem super falsa quantitate petita, cadit à causa, etiam respectu ejus, quod verè ipsi debetur. *L. fin. c. h. t. l. 44. tit. 2. p. 3.* In Nostra Hispania plus petens loco, vel causa punitur poena tripli respectu expensarum, quas fecerat reus: si petat plus re, Judex condemnavit ream, in quantitate quam actor probaverit, & in qua non probet, ipsum absolvet, & in expensis condemnavit plus petentem: & in hoc casu non tenetur in triplum. *L. 43. tit. 2. p. 3. Et ibid. Greg. Lop.* quod si reus neget plus debito fit ad invicem compensatio in istis expensis. *Greg. Lop. in d. l. 43.* A poena plus petentium excusat. *1. Si* quis non per dolum, sed per errorem plus petit. *§. 33. Inst. de Actiõ. 2. Si* minor plus petit, habet restitutionem. *§. 33. Inst. de Actiõ. 3. Si* ante litem contestationem à plus petitione actor recedat. *c. un. h. t. l. fin. C. eod. l. 44. tit. 2. p. 3. ibi: Pero si el Demandador, ante que entrasse en Juicio, se quissiesse quitar del engño, non cae por ende en pena ninguna.*

TIT. XII.

De causa possessionis, & proprietatis.

89 **DOMINIUM** plenum continet proprietatem, & possessionem: solet tamen accidere, quod alter habeat possessionem, alter proprietatem. *L. 35. ff. de Acquir. vel amittend. possess. adeo,* ut nihil commune habere dicatur proprietatis cum possessione. *L. 12. §. 1. ff. de Acquir. vel amittend. posses. De* utraque causa in præsentî Rubrica agitur: & quidem prius de possessione. *Possessio* enim sic dicitur à *positione pedum, vel sedium:* vel à *posse,* & sedere, aliquando significat proprietatem. *L. 78. ff. de V. S. aliquando* usucapionem. *L. 23. §. 1. ff. Ex quibus caus. aliquando* ipsam rem posses-

sam.

am. c. 1. h. t. Matth. 19. v. 22. sed in præsentî sumitur pro jure, vel factò possidendi, & dicitur possessio juris, vel facti: *Possessio ergo juris est jus insistendi rei corporali tamquam suæ, non prohibita possideri.* Dicitur *1. Jus,* in quo distinguitur à possessione facti: & cum pluribus aliis iuris convenit. *2. Insistendi rei,* in quo distinguitur à dominio, per quod competit jus disponendi de re, cum per possessionem solum possit, quis retinere rem, & quidem corporalem. *L. 3. ff. de Acquir. possess. l. 27. tit. 2. p. 3. ibi: E* possessio tanto quere dicitur como tenencia. Nam incorporalia, ut sunt servitutes, jus eligendi, decimandi, & similia, non proprie possidentur, sed tantum quasi possidentur. *c. 3. h. t. 3. Tamquam suæ:* nam qui alieno nomine, & non suo, rem detinent, ut Tutor, Administrator & servus non possident res suorum Dominorum, quorum nomine eas detinent. *4. Non prohibita possideri.* Hinc Laicus res Sacras non possidet, nec privatus republicas, & communes: quia contra jura, expressè talium rerum possessionem prohibentia, possessio juris non datur: *Possessio facti est detentio rei corporalis, corporis, animi, & juris adminiculo. L. 27. tit. 2. p. 3.* dum enim primò detinetur, & apprehenditur, saltem factè, res corporalis, ejus possessio acquiritur, ideò dicitur detentio rei corporalis corporis adminiculo. Etiam requiritur animus, quo quis velit, rem ut suam retinere, vel Dominus rei videri, & ut talis judicari, etiamsi possidens non credat, se Dominum esse, eo quod injustam esse suam detentionem agnoscat. Item jus adminiculum præstare debet, quatenus non auferat capacitatem possidendi, ut aufert Laico circa res Sacras, non tamen est necessarium, quod possessio sit iuxta, hoc est, legitimo titulo innixa: quia potest esse iuxta ut possessio, quam fur habet in re surtiva, vel quando quis mala fide rem possidet, & tamen potest esse verè, & propriè possessio, ut suat prædictæ.

90 Possessio multipliciter dividitur: nam alia est *naturalis, civilis* alia, & alia ex utraque composita, quæ *mixta* potest appellari: *Naturalis,* quæ omnium est infima, est quando quis rem corpore, & animi adminiculo detinet, cum alius possessionem civilem habeat. *L. 23. ff. de Acquir. posses. Civilis,* quæ est naturali perfectio, est quando quis solo animo detinet rem, quam aliquando naturaliter, & corporis actu possidebat. *Mixta,* quæ est perfectissima possessio, est quando quis

animo, & corpore rem actualiter possidet. Alia est præterea, quæ *civilissima* solet appellari, & est illa, quæ præcisè ministerio Legis, etiam sine voluntate, & animo possidentis acquiritur. Sic in nostra Hispania successor in Majoratu, mortuo possessore, acquirit Majoratus possessionem civilem, & naturalem, etiam ignorans: imò etiamsi Majoratus ab alio corporaliter possideatur, vel etiamsi ipse antecessor possessionem tradidisset alteri. *L. 45. Taur. L. 8. tit. 7. lib. 5. R. C.* Possessio itidem alia est *bonæ fidei,* quando scilicet, possidens judicat, rem ad se pertinere, licet verè ad ipsum non pertineat. Alia est *mala fidei,* quando scilicet possidens, rem ad se non pertinere credit. Hinc potest bona fides esse injusta, si fortè titulo justo destituatur, & solum nitatur titulo existimato, & similiter mala fides potest esse iuxta, ut accidit in eo, qui rem suam, credendo esse alienam, possidet; nam mala fide, quia credit alienam, justè tamen possidet, quia res est sua.

91 Possessionis commoda plura sunt; *arg. L. fin. C. de Rei vindicat. l. 28. tit. 2. p. 3.* Qui enim tempore litis contestatæ invenitur in possessione rei debet à Judice in ea conservari. *L. 1. ff. Uri possidetis:* quia in dubio melior est conditio possidentis. *L. 128. ff. de Reg. jur. c. 65. eod. in. 6.* nec ipsi incumbit probatio, sed adversario non possidenti, quod si satis non probet, pro possessore judicandum est. *L. 4. C. de Edend. l. 28. tit. 2. p. 3. o. 3. h. t.* Similiter si bona fide præscribens dubitet, an res sit aliena, & post sufficientem inquisitionem dubium perseveret, potest ea frui, donec illi constet, ad alium talem rem pertinere; *arg. L. 128. ff. de Reg. jur.* Item possessio bonæ fidei præscriptionem parit, & ex ea dominium, etiamsi res sit aliena. *L. 3. ff. de Usucap. habetque* possessor jus administrandi, ac proinde potest eligere, præsentare, & alia hujusmodi facere, & ab ipso facta valent, & si postea constet, jus ad alium pertinere. *c. 19. de Jur. Patron. c. 24. de Elect. Quod* si possessor fructus rei possessæ alienet, & si postea sciat, rem esse alienam, solum restituere tenetur id, quo factus est ditior. *L. 20. §. 6. ff. de Heredit. petit. sed post* litis contestationem, cum fiat malæ fidei possessor, tenetur restituere etiam fructus consumptos, & quos percipere potuit. *L. 2. C. de Fruitib. & litium exp. l. 40. tit. 28. p. 3.* Deinde, bonæ fidei possessor potest vim vi repellere, suamque possessionem armis defendere, illamque amissam,

in-